Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26181
Copyright: Admont, Benediktinerstift





& cito inhereditatem accipies illud. Dixitq; iterum. Vita monachi iuxta
imitationem angelorum fiat: comburens atq; consumens peccata. Dixit
abbas matois. Quanto se approximat homo ad dn̄m: tanto se peccatorem
uidet. Esaias enim propheta uidens dn̄m: miserum se & inmundū dice-
bat. Dixit senex. Sicut nemo potest ledere eum qui iuxta imp̄atorem
est: ita satanas non poterit nobis nocere: si anima nr̄a inheserit DEO.

## De Remissa conuersatione monachorū. xx. vi.

MVLTOS REMISSA CONVERSATIO IN PRISTINOS
errores reducit: ac uiuendi tepore resoluit. Tepidus in conuersione.
otiosa uerba: & uanas cogitationes noxias eē non conspicit. Quod si
a torpore mentis euigilauerit. ea quę leuia existimabat: confestim quasi
horrenda atq; atrocia pertimescit. Omnis ars seculi huius strenuos ama-
tores habet: & ad exequendum promptissimos. Et hoc proinde fit quia pre-
sentem habet operis sui remunerationem. Ars uero diuini timoris ple-
rosq; habet sectatores languidos. tepidos. prigitię inercia congelatos: s;
hoc proinde. quod labor eorum non prop̄senti. s; profutura remuneratio-
ne differtur: ideoq; dum eorum laborem mercedis retributio n̄ statim
consequitur. spe pene dissoluta languescunt. Vnde & magna gloria eorū
preparatur: si bonę conuersationis [illegible] principia augmento solidiori
consumunt: atq; eo ad promerendam retributionem clariores prepa-
rantur: quo firmius duri in tenebris labores. & inchoant. & consum-
mant. Quidam primo conuersationis calore: ad uirtutes sese accingūt:
Accedente uero progressu. dū immoderate terrenis rebus incūbunt.
puluere infimi appetitus obscurantur: Sunt non nulli. qui post per-
uersa itinera. sanctas uias sectari appetunt: s; priusquam in eis ut diximus
desideria bona roborentur: quędam illos presentis seculi prosperitas
accipit. quę eos reb; exterioriby implicat. & eorum mentem dū a calore
intimi ardoris retrahit. quasi ex frigore extinguit: & quicquid in eis de-
serto flore apparere uidebatur interficit. Siquid boni fortasse infir-
mus ac tepidus monachus agere ceperit: priusquam in eo p̄longitu-
dinem temporis conualescat. ad exteriora dilabitur: & p̄uerse deserit.
quę recte inchoasse uidebatur: In terrenis quippe actibus ualde friges-
cit animus: si nec dum fuerit p̄intima dona solidatus. Sciendum sum
mopere est. quia plerūq; monachis hoc euenire consueuit. qui deū pu-
ro ac simplici studio non secuntur: quod in libro beati iob scriptum est.
Congregatio ypocrite sterilis. Cepta enim bona non omitterent si